

dam, itaque Dei voluntatem expleam in vindicta et anathemate Amaleotarum.

ET OBLATUS EST EI AGAG PINGUISSIMUS ET TREMENS, — prae pinguedine, *g. d.* Adeo pinguis ut tremulo et vacillanti gressu incederet. Nam Hebraice est *Agag* מְדַבֵּר מְדַבֵּר *Maadanoth*, quod Chaldaeus vertit, *Agag delictiosus*; Pagninus, Vatablus et alii, *Agag delictiarum*, id est Agag deliciis saginatus et impingatus, ideoque tremulus. Minus recte ergo nonnulli sic exponunt, quasi dicat: Oblatus est Samueli *Agag cum deliciis*, hoc est gradiens delictiose, incesso regio et superbo. Alii, *gaudens de morte*, eo quod mortem servituti praeferret: vel ut R. Kimchi, quod a Samuele benigno vitam speraret. Alii vertunt, *cum vincentis*. Ita qui a vulgata discedunt, abeunt in diversa.

Porro Aman hostis Iudeorum ab Assuero suspensus, *Esther*. cap. iii, vers. 1 et 10, dicitur fuisse de stirpe *Agag*. Unde ab hoc Agag rege Amalee eum prognatum fuisse censent Josephus, lib. X *Antiq.* cap. vi, Hebraei, Chaldaeus, Lyranus, Cajetanus, Serarius et Rupertus, lib. VIII *De Victor. Verbi Dei*, cap. iv. Hinc et Aman, *Esther* cap. xii, vocatur *Bugzus*, quasi *Benagagzeus*, vel *Benagogeus*, id est filius *Agag* vel *Gog*. Nam Septuaginta, *Numer.* xxiv, 7, *Agag* per sphaeresim vocant *Gog*, aut *Bugzus*, quasi *Gogzeus*: subiande enim littera *B* mutatur in *G*, *Ezech.* xxvii, 9. *Senes Giblii* vertunt Septuaginta Bilhios, et ipsa civitas vocatur Giblus et Beblus, teste S. Hieronymo, *De Locis Hebraicis*. Ita etiam I in *B*, cum duellum bellum, duellus, bellus, ait Cicero in *Oratore*. Vide Angelum Caninium in *Hellenismis*. Esto enim Aman fuerit Macedo, tamen fieri potuit ut aliquis ex Amalee et stirpe *Agag* migravit in Macedoniam, ex quo ibidem prognatus sit Aman. Verum potuit alius esse *Agag* pater vel avus Amani diversus ab *Agag* rege Amalee; unde nil certi in hac re statui potest. Verisimile tamen est hunc eundem fuisse, tum quia hic fuit celebris, nec alius hoc nomine in Scriptura reperitur; tum quia hic fuit superbus, delictiosus et crudelis, aequae ac fuit *Aman*, ut in eum hosce suos mores cum semine transfudisse videatur. Et hoc innuit *re Aman de stirpe Agag*.

ET DIXIT AGAG: SICCINE SEPARAT AMARA MORS, — quasi dicat: O quam amara est mihi delicata et in deliciis enutrito ista mors imminens, et quam statu meo regali, opibus, honoribus et deliciis abundantius indigna. Sperabam enim in isdem quibus assueveram vitam concludere. Ita Abulensis. Hoc est quod ait Ecclesiastes, cap. xli, vers. 4: «O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cuius viae directae sunt in omnibus.» Vide ibi dicta.

Minus apte ergo Vatablus, Pagninus et alii vertunt, *recessit a me amaritudo mortis*, quasi *Agag* generoso et regali animo contemnens mortem id dixerit; aut viso Samuele, ab eo vitam speravit. Hebraice enim *וַיָּסָר*, id est *recessit*, in *Cal.*

more Hebraeo sumitur pro *Hiphil*, id est pro *recedere facti*; sive, ut Noster vertit, *separat*. Sensus ergo est: Hanc mihi moriendum est tam amara, misera et violenta morte? Hanc separanda est anima a corpore, sensus a deliciis suis, *Agag* a regno suo? aut ut Serarius vertit: «Declinat ad me amaritudo mortis,» *g. d.* Actum est de vita mea, imminet mihi amara et acerba mors.

Tropologicae S. Gregorius: «Recessi conversi, ait, dum a solitis suis voluptatibus separantur, dolorem instar mortis sentiunt:» unde haec tentatione pulsantur: sicine me separat a meis deliciis amara mors poenitentiae et sanctae vitae? «Quis in eis, inquit, carnalitas sine magna tribulatione minime necatur. Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est, dicitur mensuralitas sua: Laeta pro tam tristibus spernis?»

33. ET AIT SAMUEL: SICUT FIT ABSQUE LIBERIS MULIERES GLADIUS TUUS, SIC ABSQUE LIBERIS ERIT INTER MULIERES MATER TUA, — *g. d.* Ego matrem tuam te occidendo faciam viduam sine liberis, quia tu multas fecisti viduas necando eorum filios. Nimirum iuste occideris, quia iniuste alios occidisti. Aeterna enim Dei lege sanctum est, ut homicida occidatur. Nota delictiosus, qualis erat *Agag*, saepe esse crudelis; quia omnem amorem quem habent sibi ipsis impendunt, ac proinde in alios non nisi odia expronunt; imo alios fraudant et spoliant, ut plura habeant quibus delictentur. Omnia enim sibi appetunt, aliis nihil.

Figmenta sunt quae scribit Philo Biblicus, scilicet Deum iussisse Samuelem ut *Agag* regi daret vitam inducias persequentem noctem; qua proinde *Agag* uxorem suam gravidam effecerit, indeque natus sit filius nomine *Eiab*, qui fuerit Amalecites ille, qui *Saulem* se occidisse asseruit *Davidi*, cap. xxxi, ut per filium *Agag* iusto Dei iudicio occisus sit *Saul*; eo quod ipse *Agag* non occidisset, ut iusserat Deus. Haec enim est talionis poena.

ET IN FRESTA CONCIDIT EUM SAMUEL, (non per se, ut vult Serarius, sed per suos, ait Josephus) CORAM DOMINO, — quasi sceleratum in victimam anathematis iustitiae divinae sacrificans; idque non ex sevitia, sed ex zelo iuste vindictae; qualem habuit Phineas occidens principem fornicatorum, *Numer.* cap. xxv, et Elias occidens sacerdotes *Baal*, III *Regum*, cap. xviii (1).

Tropologicae, cum superbia et vitis dimicantes, debemus ea frustatim concidere, et nihil ex eis relinquere, quod novum nobis bellum moveat. Ita Beda.

33. ET NON VIDIT SAMUEL ULTRA SAUL, — id est, non invisit Samuel *Saulem* amplius, non eum adiit honoris causa, ut fecerat prius, non colloctus est cum eo, non eum direxit, admonuit, reprehendit, ut facere solebat. Hunc esse sensum patet ex Hebraeo: nam alioqui postea Samuel

(1) Nil in hoc a Samuele crudeliter erga sceleratissimum hunc *Agag*.

vidit *Saulem* inter prophetas prophetantem, cap. xix, vers. 24.

LUGEbat SAUUEL SAULEM, — quia dolebat *Saulem* a se unctum, regno, ac Israelite, regno tam forti et felici privari; atque nesciebat quis et qualis ei successurus esset. Adde, timebat *Saulem* non tantum regno, sed et vita ac salute aeterna privandum; licet enim hic tantum a Deo regno spoliatur, tamen *si abiectus*, et hebraice *reprobavit te Deus*, innuit eum a Deo derelictum, in maiora scelerata ruiturum, in hisque moriturum ac damnandum, ut reipsa confisgisse videtur. Lugebat autem, et simul lugens orabat pro *Saule*, ut vel regno restitueretur, vel certe in ulteriora mala non decideret. Sperabat enim Dei decretum de abiectione *Saulis* non esse omnino absolutum et irrevocabile,

sed comminatorium, ac precibus flecti mutarique posse. Unde Deus, cap. seq. vers. 1, asserit id esse absolutum; velatque ne amplius lugeat *Saulem*, sed ejus loco in regem ungat *Davidem*.

Nota hic et imitare misericordiam et charitatem *Samuelis* erga *Saulem* sibi Deoque inobedientem. Audi S. Gregorium: «Quid est quod loquitur quem cernere deliquit, nisi quia et cum zelo rectitudinis, sancti doctores habent affectum magne charitatis; ipsa autem charitatis magnitudo ostenditur, quia projectum regem plangere perhibetur, quia affectu electorum, abditiorum peccata plangunt, qui pro projectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? Instantia namque luctus ostenditur, quia subjunctum est: Usquequo tu luges *Saul*?»

Charitas
Samuelis.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samuel ungit Davidem in regem, ut Sauli mortuo succedat. Mox, vers. 14, Spiritus Dei a Saul transit ad Davidem, ac Sauli exagitat spiritus malus, quem David pellit pulsando citharam. Unde, vers. 21, eum diligit Saul, facitque suum armigerum.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges, Saul, cum ego proiecero eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemiem; providi enim in filiis ejus mihi regem. 2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? anct enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni. 3. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstraverit tibi. 4. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 5. Et ait: Pacificus; ad immolandum Domino veni, sanctificamini et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. 6. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est Chrius ejus? 7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturae ejus; quoniam abieci eum, nec juxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor. 8. Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. 9. Adduxit autem Isai Samuelem, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. 10. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. 11. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum; nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat. 12. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulchre aspectu, decoraque facie, et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim. 13. Tollit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus; et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps; surgensque Samuel abiit in Ramatha. 14. Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. 15. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. 16. Jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt, quaerent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus,

Delictiosus
capo
credulus.

Samuel
ex zelo
justitiae
Agag

psallat manu sua, et levius feras. 17. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. 18. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum, et Dominus est cum eo. 19. Misit itaque Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. 20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini et hœdur: de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. 21. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo; at ille dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger. 22. Misitque Saul ad Isai dicens: Stet David in conspectu meo, et invenit enim gratiam in oculis meis. 23. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

4. USQUEQUO TU LUGES SAUL (et lugendo oras pro eo restituendo), cum ego PROFERERIM EUM (utpote inobedientem, obstinatum et impudentem), NE REGNET SUPER ISRAEL? — « Cur enim, ut ait S. Gregorius, projecta persona plangitur, cum melior subrogatur? » Audi S. Chrysostomum, hom. 3 De penitentia: « Multum exhausti temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, noctesque multas transiegit insomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus repudians (non enim cum propheta oratio peccatoris convenit penitentia), dicit ad prophetam: Usquequo tu ploras? usquequo ostendit tempus, ac perseverantiam deprecantis? Et repulsi Deus tempus deprecationis prophete. Non enim cum justis intervenit, regis penitentia stetit. » Et S. Bernardus, sermone 42 in Cantic.: « Samuel, ait, lugebat Saul, qui se querebat occidere, ad ignem charitatis incalescentis pectore liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos. » Subjicit Chrysostomus secus fuisse in Davide qui, a Nathan correptus de adulterio et homicidio, serio penituit, ideoque ab eo illico audivit: « Transtulit Dominus peccatum tuum, » II Reg. XII.

Cor Deus non respiciat regem ungenitum?

PROVIDI ENIM IN FILIIS EIUS MIHI REGEN, — id est, destinavi unum e filii Isai creare regem, qui Sauli succedat. Sed cur eum non designat, nec nominat? Causam dat S. Chrysostomus in Psal. I: « Attende, inquit, diligenter. Non dixit ad Samuel: Vade, ac Davidem mihi unge; sed vade, unge mihi unum ex filiis Jesse. Ne videlicet idem Davidi accideret, quod prius Josepho; ut enim fratres, cum regem eum fore intellexissent, insidias ipsi struxerunt, eodem modo periculum erat, ne isti quoque idem facinus perpetrarent. » Idem etiam Theodoritus expressit, Quest. XXXVII in Reg.: « Nam, ait, cum etiam sic facta electione aperuerunt fratres suam invidiam, fratrem conspiscati in acie, quid non fecissent, si non facta esset hoc modo? »

4. ADMIRATI SUNT SENIORES, — et simul perterriti, quod insolitum erat tantum Prophetam et Judicem solum venire; tum quia ex inopinato, nullo premonito aderat; unde timebant ne iratum Saulem fugeret, ejusque iram in Bethle-

mitas, quasi Samuelem recipientes devolveret; aut ne triste aliquid prænuntiaret. Tropologicè S. Gregorius: « Electi Doctores, inquit, vix aliquando videri in publico debent, esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni. »

SANCTIFICAMINI, — id est, sancte vos preparate ad sanctum sacrificium; ad quod vos invito ut ei intersitis: licet solum Isai cum filiis vocaret Samuel ad prandium sacrificii, ut secreto ungeret unum e filiis ejus in regem; unde sequitur:

5. SANCTIFICAVIT ERGO ISAI ET FILIOS EIUS, ET VOCAVIT EOS AD SACRIFICIUM. — « Sanctificavit, » id est jussit eos sanctificari, sive purificari per solum vitulum, id est, abstinentiam, perque sparsionem aque lustralis: ut si quam irregularitatem legalem contraxissent, illam hæc lustratione expiant. Vide dicta Numer. xix. Idem imitati sunt Gentiles juxta illud: « Casta placent Superis, pura cum veste venite. » Et: « Donec me flumine vivo abluero. »

Unde illa lex apud Ciceronem, lib. II De Legibus: « Caste deos adeunto. » Hinc argumento a minori ad majus colligit S. Gregorius, atque: « Si interesse sacrificiis non audent nisi sanctificati; quid de sacrificantibus censendum? sanctificare enim purgare est. Quantum ergo purus decet esse Pontifices, ubi invitare ad sacrificium, non nisi sanctificate admittenda sunt plebes? sanctificatio quippe corporis, pudicitia est; sanctificatio mentis, charitas et humilitas. »

6. CUMQUE INGRESSI ESSENT — ad prandium ex peracto Samuelis sacrificio instructum, non enim in sacrificio, utpote publico coram senioribus, sed in prandio coram Isai et fratribus, Samuel secreto unxit Davidem in regem; ne Saul rem intelligeret et utrique, scilicet tam Samueli quam Davidi, necem machinaretur.

VIDIT ELIAB, ET AIT: NUM CORAM DOMINO EST CHRISTUS EJUS? — q. d.: Samuel Eliab primogenitum Isai stitit et obtulit Domino, eumque interrogavit: Hicne est, Domine, quem elegisti in regem, ut jubeas eum a me ungi; itaque ipse fuit Christus, id est unctus Domini?

7. ET DIXIT DOMINUS AD SAMUELEM: NE RESPICIAS

VELTUM EJUS (virilem, grandem et elegantem), NEQUE ALTITUDINEM STATURÆ EJUS (uti Saul rex ab humero sursum eminebat toti populo), QUONIAM ABIECI EUM. — Hebraice אֲבִיעִי מֵאִשְׁתִּי, id est reprobovi eum; Septuaginta, quoniam contempsi eum; Chaldaea, elongavi, scilicet a regno, q. d. Abieci Eliab, licet primogenitum, pulchrum et procerum, no sit rex. Ita S. Gregorius Abulensis, Hugo, Lyranus et Dionysius. Alii, q. d. Abieci eum, id est Christum meum, quem scilicet a te ungi volo in regem; puta Davidem foci abjectum, id est juvenem et minimum nato inter filios Isai.

HOMO ENIM VIDET EA QUÆ PARENT, DOMINUS AUTEM INTUETUR COR. — Hebraice, homo videt (et videndo judicat) secundum oculos (juxta apparentiam exterorum oculorum), Deus autem videt (et videndo judicat) secundum cor. Quare homines sepe falluntur. « Oculi (enim) et vultus sepe mentiuntur, » et indicant mentem sapientem vel probam, que insipiens est et improba. Cor autem, id est mens et voluntas mentiri et fallere nequit; quia aliud se esse quam revera sit fingere nequit. Deus ergo est Cardinogustus, id est cordis inspector, imo Dominus et possessor. Sensus est, quasi dicit: Deus videt cor Davidis melius esse corde Eliab; esto vultus et forma Eliab melior et grandior sit, quam vultus et forma Davidis: hæc de causa non Eliab, sed Davidi regnum assignabit. Hinc Septuaginta vertunt, quoniam homo videt in faciem, Deus autem in cor, puta, arcana et intima cordis. Et Chaldaeus, quia filii hominis vident in oculis suis, et ante Dominum manifesta sunt cogitationes cordis.

ibi hebraice dicitur octo filios.

10. ADDUCIT ITAQUE ISAI SEPTEM FILIOS SUOS. — Habuit ergo Isai, sive Jesse (hæc enim duo nomina apud Hebræos unum idemque sunt), universim octo filios. Nam David absens erat octavus. Dices: I Paralip. cap. III, cum Davide numerantur septem duntaxat filii Isai sive Jesse. Respondeo, ibi non omnes numerari, sed unum prætermitti ob causam nobis incognitam, forte eo quod octavus genitus sit ex concubina, vel uxore secundaria; sicut cap. XIV, vers. 49. Saulis filii numerantur tres, et omittitur quartus, scilicet Isboseth, de quo II Reg. cap. II.

Aliter Lyranus, Cajetanus et Dionysius; dicunt enim nomen tertii filii fuisse Nathan, sive Jonathan; eumque omitti, eo quod filius esset adoptivus, non naturalis. Verum de hæc ejus adoptioe nil uspiam legimus. Hinc liquet Samuelem revelasse Isai Dei consilium de eligendo uno ex filiis ejus in regem, eoque ungenendo. Ideo enim Isai omnes filios ordine nativitatis adduxit ad Samuelem, ut videret quem ex eis unum Deus eligeret.

11. ADHUC RELIQUUS EST PARVULUS. — Vide hic quam diversa sint judicia Dei et hominum. Isai enim Davidem ut juvenem et minimum, ideoque oves pascentem parvi aestimabat, nec dignum conspectu Samuelis: unde eum non adduxit; Deus autem eum fratribus omnibus prætulit, regemque

Alia juxta dicitur Dabai.

creavit. Unde S. Ambrosius, serm. 18 in Psal. CXVIII: « Patris, ait, oves pascebat vili ablegatus obsequio, non est oblatas sacerdoti (Samueli), quasi indignus, qui ungeretur in regnum. »

PARVULUS. — Hinc et magis ex cap. XVII, vers. 23, 42, 38, multi censent Davidem, cum unctus fuit in regem, etate puerum existisse, imo puerulum, ut ait S. Chrysostomus in Psal. I; sic et Josephus, Serarius et alii.

EX ADVERSO Hebræi in Seder-Olam cap. XIII, censent Davidem hoc tempore fuisse 20 annorum, eo quod putent Saulem duos duntaxat annos regnasse et vixisse: quo mortuo statim ei successit David, cum esset triginta annorum, ut dicitur II Reg. cap. V, vers. 4.

Media sententia est verior, scilicet Davidem, cum unctus fuit, fuisse viginti circiter annorum. Hæc enim etas apta est regno et media inter pueritiam et virilem etatem. Probatur primo, quia David vers. 18 vocatur « fortissimus robore, vir bellicosus et prudens in verbis. » Ergo facile erat viginti annorum. Secundo, quia, ut dixi cap. præcedenti, Saul per inobedientiam parendo Agag anno septimo regni sui, eo a Samuele privatus est; mox autem anno sequenti, puta octavo Saulis, pro eo jam rejecto unxit Davidem; Saul autem posthæc regnavit adhuc decem annis: universim enim regnavit 18 annis. Quare cum post duodecim annos mortuus sit Saul, eique in regnum succedens David, fuerit tunc triginta annorum; dicere oportet eum, hoc anno quo primum secreto unctus est, fuisse 20 annorum. Ita Abulensis, Dionysius, Sallianus et alii. Adde quod Saul vers. 21, Davidem fecit suum armigerum; armigeri autem solent esse juvenes, non pueri.

Dices: Quomodo ergo David hic vocatur parvulus? Respondeo, quia respectu fratrum omnium erat parvulus, id est minimus nato, id-oque opilio. Unde pro parvulus hebraice אֲדָמָר קָטָן, id est parvus, ut vertit Chaldaeus. Hinc Septuaginta vertunt, minor, id est minimus fratrum. Sic Benjamin vocatur parvulus, id est natu minimus filiorum Jacob, Genes. cap. XLIII, vers. 29, cum tamen jam tunc genuisset decem filios, ut patet Gen. cap. XLVI, vers. 21.

ET PASCIT OVES. — Sic olim Patriarchæ et Principes fuere agricolæ et pastores Nathan, sive Jonathan; eumque omitti, eo quod filius esset adoptivus, non naturalis. Verum de hæc ejus adoptioe nil uspiam legimus. Hinc liquet Samuelem revelasse Isai Dei consilium de eligendo uno ex filiis ejus in regem, eoque ungenendo. Ideo enim Isai omnes filios ordine nativitatis adduxit ad Samuelem, ut videret quem ex eis unum Deus eligeret.

Jura dabat populis posito modo Prætor aratro, Pascebatque suas ipse Senator oves.

Vide dicta cap. XI, vers. 3.

MITTE ET ADDUC EUM, NEC ENIM DISCIMEMUS PRUT-QUAM HUC ILLI VENIAT. — Hinc patet ante prandium unctum fuisse Davidem, tum quia ante prandium res arduæ tractari solent; tum quia prophete zelosi, qualis erat Samuel, Dei præcepta

hominum.

David unctus ex nato viginti annorum.

Prius olim agricolæ et pastores.

urgent, illaque illico ante res alias exsequuntur; tum quia, ut ait S. Gregorius: « In observatione jejunii celebranda sunt Sacramenta unctionis. » Unde et sanctorum est ut non nisi jejuni sacrum chrisma in Confirmatione accipiant.

12. ERAT AUTEM RUFUS. — Hebraice רופי admodum, id est rubicundus, sanguineus, rufus, quasi esset alter Adam, ait Theodoretus, ideoque typus et figura Christi. Rufi enim sunt pulchri et saepe insigni indole. Unde Sederus scribit Valentianum Imperatorem habitum Davidi similem, eo quod rubicundus esset, rufis capillis, oculis caecis et pulchris. Rufus enim color accedit ad fulvum, qualis est leonis, qui fortitudine superat omnia animalia, eorumque est rex. Addit Aristoteles in Physiognom. cap. x: « Quibus color ruber est, acuti sunt; quoniam omnia quae secundum corpus sunt, a motu calefacta rubescunt. »

David agnitus ex latitia vultus.

SURGE, UNGE EUM, RESE EST ENIM — quem in regem elegi, et a te ungi volo. Porro S. Athanasius in Vita S. Antonii, ait Davidem a Samuele agnitionem fuisse ex latitia vultus, aequae ac ex eadem ab omnibus agnoscebatur Antonius inter mille Monachos: « Si quis enim ignarus ejus inter multitudinem Monachorum eum videre desiderasset, dum indicante ceteris praefermissis ad Antonium currebat, et animae puritatem agnoscebat ex vultu, et per speculum corporis gratiam sanctae mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquide ostendebat se de coelestibus cogitare, sicut Scriptura ait: Corde letante vultus floret, sed in mureore continuo tristatur, » ait S. Athanasius. Sic Samuel, inquit, agnovit Davidem: « Leticificatos enim habebat oculos et dentes sicut lac candidos. »

David typus Christi.

Allegorie, David fuit typus Christi, qui fuit « rufus, ait S. Gregorius, quia lancea vulneratus; rufus, quia ex passione rubicundus. Unde et per prophetam ait dicitur: Quare rubrum est indumentum tuum? Rufus quippe exstitit, qui candorem tantae innocentiae pretiosus sanguinis rubore coloravit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia et resurgendo immortalitatis pulchritudinem induit, et mortales nos ex magna charitate respexit. » Et inferius: « Rufus ergo in saeculo fuit, pulcher in paradiso, decora facie perennis in caelo; potest et omnis haec trina pulchritudo in hac praesentis vite ejus conversatione cognosci. Rufus quippe exstitit, quia ferventer amavit eos pro quibus animam posuit: pulcher aspectu fuit, quia omnia novit; decora facie, quia omnia bona fecit. »

13. TULIT ERGO SAMUEL CORNU OLEI ET UNXIT EUM IN MEDIO FRATRUM SUORUM. — « Non, ut ait Josephus, quasi in ipsius arcum insurrarunt Samuel; sed, ut fratres omnes unctionem viderent et intelligerent, idque ut pluris ipsum digne facerent, minoreque invidia laborarent, cum sibi eum praeferrere viderent, » ait Theodoretus, Quaes. XXXVII.

Ter unctus David.

Porro unctus est, non ut statim regnaret, sed ut Sauli morienti in regno succederet. Hinc patet

patrem et fratres Davidis cognovisse eum a Samuele ungi in regem. Ita Abulensis, licet id negat Cajetanus. Ter unctus fuit David: primo, hic privatum; secundo publice, cum factus est rex tribus Juda; tertio, cum factus est rex omnium tribuum, II Reg. cap. ii et v. In Graecis codicibus Psalterii additur psalmum cxi, qui de hac unctione agit, ubi David de se ita canit: « Parvus eram in fratribus meis, et junior in domo patris mei; pasebam oves patris mei, etc. Ipse emisit angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei, et unxit me oleo unctionis suae. Fratres mei pulchri et magui; et non bene sensit in eis Dominus. » Tropologice S. Gregorius: « Cornu olei tollitur, ait, ut in excellenti liquore magister Ecclesiae vir esse student magnae misericordiae. Oleo ungitur caput regis, quia luere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, ut increpandum purget, et miserando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis oleum ad fomenta virtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut virtus Pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in unctione sua habet, si tam in virtute misericordiae, quam charitatis et verbi perfectus est; plenum etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cujus omnia potestas per misericordiam dispensatur. » Et post plura: « Oleo quippe in medio aliorum ungitur, ut in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet et hunc omnes aspiciant, et ab eo lucis exemplum sumant. » Et paucis interjectis: « Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum et medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, et vim dignitatis exerceat, quia unctus est; videat se medium, et communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut si humilis et sublimis, sublimis ordine, humilis estimatione. In medio idem ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod praeminet, lucra aliorum querat. Atque hic finit S. Gregorius suam expositionem moralem in lib. Regum.

ET DIRECTUS EST SPIRITUS DOMINI A DIE ILLA IN DAVID. — Queros, quis fuit hic spiritus? Respondeo primo, fuit spiritus fortitudinis tum animi tum corporis, qui eum bellicosum et victoriosum effecit; unde post hanc unctionem David tam leonem et ursum, quam Goliath giganteum interfect. Hinc Septuaginta vertunt, insiluit in eum spiritus Domini, sicut insiluit in Samsonem, Ironicque, quos is aliquod heroicum fortitudinis opus aggregabat. Ita Lyranus, Abulensis et Vatablus, qui vertit, agitavit eum caput spiritus Domini; Chaldaeus, mansit spiritus fortitudinis a Deo super David.

Secundo, fuit spiritus animi magni et regii. Sicut enim Deus, Saulum ab asinis vocans ad regnum, et eorum rusticianum mutavit in magnanimum et regium: sic jam eundem spiritum a Saule transiit in Davidem, ut qui prius non nisi de ovibus

Spiritus Domini mansit in David. Subito Davidis mutatio.

Spiritus Domini mansit in David. Subito Davidis mutatio.

Elymca Davidis.

pascendis cogitaret, jam de toto Israele gubernando et propagando cogitaret: magno ergo novosque animos, novos spiritus, novas cogitationes, nova consilia, nova desideria et vota illa indidit; hoc enim significat hebraice תִּשְׁלַח תִּשְׁלַח. Tertio, fuit spiritus Poeticus et Musicae, puta psalendi psalmosque dictandi et canendi: nam ab unctione cepit psallere et psalmos componere. Ita Abulensis, Dionysius et alii.

Quarto, fuit spiritus prudentiae, ut in omnibus dictis factisque mire esset prudens, discretus, providus, illaque non se suamque familiam duntaxat, sed et totum regnum sapientissime gubernaret. Unde eandem a Deo postulavit et obtinuit Salomon Davidis filius, III Reg. cap. iii, vers. 12. Donique hebraice תִּשְׁלַח, quod Noster vertit, directus est, cum Marino et aliis veritas, prosperavit, fortunavit, ad felicem effectum direxit; ut scilicet David omnia prudenter et feliciter conficeret, ac ad optatum finem perduceret.

Quinto, fuit spiritus prophetiae: David enim fuit propheta, ac in Psalmis non tantum psallit, sed et prophetat de Christo, Christique vita, morte, Apostolis, Ecclesia, etc. Ita S. Hieronymus, Josephus et alii.

Porro spiritus hic non pertransiit, sed constanter mansit in David, saltem quoad aliquas ejus operationes. Hoc enim significat וְאֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ וְאֵלֶּיךָ. Ita S. Gregorius.

Subito ergo David per unctionem Dei et Samuelis hic ex abjecto pastoreculo ovium, factus est rex fortissimus et prudentissimus, ac Psaltes et propheta divinus: nam si antea aliquid horum habuisset, utique pater et fratres eum non ita abjicerent ad oves, sed pluris fecissent.

IN DAVID. — David ab amore nominatus est quasi amabilis. David enim hebraice idem est quod דוד, id est, dilectus, vel amor et dilectio, juxta illud Cant. i: « Meliores sunt amores tui (hebraice דודך דודך) vino. » Hinc et Salomon filius ejus idem nomen a Deo accepit, vocatusque est Iedida, id est, « amabilis Domino, » II Reg. cap. xii, vers. 23. Porro S. Augustinus, lib. XIII Contra Faust. cap. lxxxvii, et in Psal. xxxiv: « David, ait, idem est quod manu fortis vel desiderabilis, » ut David dicatur quasi דודי דודי, id est, sufficiens (hoc est, validus, potens) manu.

Audi S. Chrysostomum, homilia De David et Goliath, Davidem cum Saule conferentem et praefertentem: « Inveni mihi David, virum secundum cor meum, qui faciet omnem voluntatem meam. O beatum David sanctissimi meritum, quod laudat Deus, predicat Dominus, iudex praefert summus! Dum enim David sanctissimus, homo est secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concepit, perficit. Dum enim, inquam, David cordi Dei cor proprium jungit, menti ejus mentem suam annedit; hoc est, ut quae vult Deus, velit; et quae non vult, similiter nolit; sic enim Dominus individuo amore et con-

juncta charitate dilexit. » Et paucis interjectis: « Hic ab ovibus ad regnum delictus, ille a regno ad gladium destinatur. Hunc sancta vita promovit, illum mandatorum despecto reprobat. David adhuc pastor debellat leonem, interfecit ursam; Saul, contemnendo Dominum, malum in se provocat spiritum. Regnat David sanctissimus, sed latenter: Saul reprobus elicitur evidenter. Ille jam rex est, ille putatur; hic jam obtinet, ille tantummodo dicitur; hic occultam possidet dignitatem, ille habet publicam praei imaginem; a Deo David Sancto Spiritu inundatur. Saul vero Spiritu isto deseritur. Denique Saul David persequitur innocentem, David vero traditum sibi, illesum exhibet peccatorem; ut et in David Spiritus Sanctus mitesceret, et in Saule malus spiritus in innocentem saeviret, ut vite diversitas, diversa jam merita demonstraret, et causa iste hominibus deputarentur non Deo, qui male vel bene gerentibus regnum, aut tollerent, aut conferret. »

SPIRITUS AUTEM DOMINI NECESSIT A SAUL. — puta spiritus fortitudinis, bonitatis, prudentiae, magnanimitatis, animi liberalis et regii, etc., « necessit a Saul, » ac recidit ipse in primævam suam privitatem, dejectionem, imprudentiam, vilitatem, pusillanimitatem: unde qui prius in bellis erat acer et victor, deinceps exsistit inbellis, ignavus, iners, nec quidquam preclare gessit.

ET EXAGITABAT EUM SPIRITUS NEQUAM A DOMINO. — Queros, quis fuit hic « spiritus nequam exagitantem Saulem? » Primo, Hebraeus, Josephus, Cajetanus, Genebrardus in Chron. anno mundi 3066, Delrio, lib. III Magic. cap. iv, censent fuisse atram bilem, sive melancholiam et maniam, qua Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, invidias, merores, anxietates, desperationes, furorcs, deliria, amentias: haec enim concepit, ex eo quod vidit se a Deo rejectum et a Samuele regno privatum. Primo probatur, quia Septuaginta vertunt, suffocabat eum spiritus malus; Chaldaeus, terruit eum; Vatablus, turbavit eum. Secundo, quia a Josepho spiritus hic vocatur « perturbatio et morbus a demone inflictus, qui suffocationes et strangulationes illi creabat. » Tertio, quia hoc spiritu agitatus invidit Davidi successionem in regnum, ideoque eum voluit occidere, cap. xviii vers. 19. Quarto, quia morbus hic Saulis levabatur per musicam Davidis pulsantis citharam, quia scilicet musica exhiberet, itaque fugat tristitiam.

Porro, quam malignus sit humor melancholicus docent Galenus, Fernelius et Levinus Lemnius medicus, lib. De Complexionibus, sub finem, pag. 162, ubi mira melancholicorum phantasmata et curationes recenset. « Primus enim, ait, sibi persuaserat nasum sibi excrevisse instar proboscidis elephantis. Medicus faricem naribus ejus admovit, illudque et tandem ultimam nasi

Spiritus nequam exagitantem Saulem quis? Resp. Primo.

Chaldaeus: terruit eum. Secundo: turbavit eum. Tertio: suffocabat eum.

pellucam cuncto abscedit: itaque imaginarium illi nasum avulsit. *Secundus* credebatur ranas et bufones intestina sua perterebrare. Medicus clystere per alvum eum purgavit, ac excrementa pelvi excipiens, in eamdem ranas et bufones coniecit. En, inquit, ranas et bufones ventris tui: scito te jam is liberatum, itaque phantasma hoc suum illi excussit. *Tertius* imaginabatur sibi femora esse ex vitro; quare nec sedere, nec quid tangere audebat, ne illa collisa dissilirent. *Quartus* opinabatur se esse mortuum, ideoque cibum sumere nolebat: jamque ad septem dies jejuniis persistebat (diem autem septimum inedia medici lethalem autumant) medicus personatos quosdam linteaminibus obvolutos in ejus cubiculum immisit, qui se dicentur mortuos, et tamen coram eo laute epularentur. Invitatus ille et voce epulantium, et nidore deliciarum, crepit gustare et tandem comedere affluentiis: praecta autem caesa somnus illi salutaris obrepit, in eum usum confecto lignamine; itaque ad vitam et mentem redit. » Ille sensus verus est; sed hoc loco non sufficit.

Secundo, alii censent fuisse angelum bonum, a Deo Sauli immissum, ad eum affligendum, ut justas ab eo inobedientiae penas exigeret.

Tertio et verius, alii censent fuisse diabolum, qui non tantum exterius vexavit Saulem, ut vexavit S. Job; sed etiam interius eum possederit, cumque diris phantasmatibus, tristitiis, meroribus, anxietatibus, doloribus affligerit, et per vires exagitarit; hic enim proprie est et vocatur « spiritus nequam: » ab eo ergo possessus fuit Saul, factusque energumenus et daemoniacus, ita ut per vires ab eo exagitatus deliraret, insaniret, fureret, ut audiemus cap. seq. vers. 10 et seq. Ita censent Josephus, Rupertus, Isidorus, Eucherius, Lyranus, Hugo, Abulensis, Dionysius, Vatablus, Serarius, Sanchez hic, et S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. vi, ac Theodoretus hic *Quaest.* XXXVIII: « Cum divinus, inquit, recessisset spiritus, locum est sortitus malignus spiritus; sic cum Apostolica gratia Judam reliquisset, in eum ingressus est diabolus. »

Porro, *spiritus* hic vocatur *Domini*, quia a Deo Sauli fuit immissus vel permissus ad castiganda ejus peccata. Sic Paulus, II *Corinth.* II, fornicarium tradidit Satanae. Audi S. Gregorium: « Ideo idem spiritus et Domini appellatur, et malus: Domini, per licentiam justae potestatis; malus, per desiderium injustae potestatis. » Hic enim potestas, ex parte Dei punientis Saulem per diabolum, erat justa; ex parte vero diaboli tyranni et tyrannice Saulem excruciantis, erat injusta. Diabolus autem in Saulem nil poterat, nisi potestate a Deo accepta, qui illum limitavit, ut tantum et non amplius eum affligere posset, ut fecit in S. Job.

16. *Psallat manu sua, et levius ferat.* — Quomodo psallendo fugetur demon dicam vers. 23.

18. **FORTISSIMUM ROBORE ET VIRUM BELLICOSUM.** — Rabbinus apud S. Hieronymum in *Quaest.* et Lyranus censent Doeg Idumaeum, infensum Davidi, hoc dixisse et fluxisse, scilicet hostiliter Davidem laudasse, ut illi, dum ante forentem Saulem staret, vite periculum crearet; sed necdum Davidis virtus et fama adeo increbuerant, ut eum nosse et odisse posset Doeg. Hinc ergo patet Davidem, accepto in unctione sua spiritu fortitudinis, illico fortitudinem suam eximiam exercuisse ad intentionem stuporem, ac insignia quaedam fortitudinis bellicae opera edidisse: quae qui viderunt, ad Saulem detulerunt, eique Davidem commendaverunt.

19. **QUI EST IN PASCUIS.** — Vide hic modestiam Davidis, qui licet jam unctus visset in regem, ac destinatus Saulis successor, tamen illico rediit ad oves suas, factusque est opilio, aequae ac Saul unctus licet in regem, rediit tamen ad suos boves et aratra, cap. XI, 8.

23. **DAVID TOLLERAT CITHARAM ET PERCUTIEBAT MANU SUA, ET REFOCILLABATUR SAUL, ET LEVIUS HABEBAT;** — quia scilicet exillabatur musica, itaque minuebatur ejus melancholia, indeque sequentes angores et pravae animae passionis. Ad has enim mitigandas valde pellendas mire valet musica. Cassiodorus, lib. II *Variarum*, cap. XI: « Musica, inquit, tristitiam noxiam jucundat, immodicos furores attenuat, crudelentiam sevitiam efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis haedum bonis cogitationibus semper adversum. »

S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. XXXIII, asserit: « Omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere proprios modos in voce et cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur. »

Quin et Seneca ex Pythagora, lib. III *De Ira*, cap. IX: « Pythagoras, inquit, perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lictos et tubas conitamenta esse; sicut quosdam cantus, blandimenta quibus mens resolvitur? »

Asclepiades medicus *causa*, id est, passionis morbosque animi musica lenit: ac sedare consuevit. Timotheus excellens fideus, fides pulsando Alexandrum Magnum ita concitabat, ut ad arma procurreret. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XVII. « Graecorum civitates, ait Marianus Capella, sanxerunt ut animum corporumque morbi ad lyrae modulus curarentur. Unde qui aegris remedia praestabant, olim dicebantur praecinere, inquit Macrobius, et Xenocrates lymphatos carminum modulis a dementia liberavit. Paracelsus ait ischiadicorum dolores lenibus tibiarum Phrygiae modulis sedari, tibique nemque modulata canentem viperarum morsibus mederi. »

Atque ut caetera sileam, illud quod Saulis per citharae pulsus curationi affine est commemo-

rasbo. Experientia continua et quotidiana Italos praesertim in Apulia docuit et docet eos quos momordit tarantula et stupefecit, ut lethargo correpti somnum lethalem dormiant, ni evigilent, nulla medicorum arte excitari posse, nisi carmine modulato, quod in varios numeros et harmoniam fluctat, donec illam invenient, quae morbo et stupori hinc, quasi medela respondeat; illi deinde canendo insistant; excitatur aeger in vigiliam et tripudium; saltu sudorem elicit, itaque venenum omne dispellit, ac sibi mentique et sonitati restituit. Miraculum hoc musicae et carminis quis non admiretur?

Sed quid potuit musica et cithara Davidis in daemone agitante Saulem? Respondent Platonici, ac eos secuti Cajetanus in cap. II *ad Ephes.*, Augustinus Niphis, lib. III *De Daemon.* cap. v et seq., Eugubinus, libro VIII *De peregrini Phil.* cap. XXVI, daemones habere corpus aliquod subtile, ideoque musicam audire, eaque commoveri. Verum hic jam est error. Certum est enim Angelos ac daemones esse plane incorporeos, ac puros merosque spiritus.

Secundo, aliqui censent Deum posse subjicere, imo de facto subinde subjicere daemones nonnullis rebus corporeis, v. g. melodiae, fumo jecoris, Tob. cap. vi, hyperico, rosmarino, etc. Ita Levinus Lemnius et Franciscus Valesius, *Sacrae Philos.* cap. XXVIII: « Jecori piscis Tobiae, inquit, virtus supernaturalis tributa est, illuminandi oculos Tobiae; ut igni inferni tributa est vis torquendi daemones, et aquae benedictae data est vis eosdem fugandi, et animam a culpis abluendi. » Addit Valesius, atque: « Dicunt exorcistae nonnulli pelli daemones suffitu cornu cervini, et cujusvis stercoris praesertim humani, item ruta et hyperico: duobus prioribus, eo quod se contemni non ferat demon utpote superbissimus. Ego vero, inquit ipse, eos venisse in hanc opinionem puto, eo quod medici omnes testentur illarum rerum suffitu epilepsiam manifestari. Statim ergo ut epilepticus illarum suffitu sentit, epilepsiae paroxysmo membrorumque omnium agitatione et jactatione corripitur, aut si ejus paroxysmo jam laborat, ingravescit: exorcistae vero illi hoc daemone tribunt eumque visitari autumant. Rotam vero et hypericum salutare esse epilepsiae curanda, patet ex eo quod flatus abigant, qui cerebrum epilepticorum agitant. » Verum licet certum sit Deum posse subjicere daemones rei corporeae, ut musicae; tamen incertum est an de facto eos illi subjecerit.

Tertio ergo, verius est Davidem psallendo fugasse demonem Saulis vi partim naturali, partim supernaturali: naturali, quia musica exhilarat, itaque pellit melancholiam, qua demon utebatur ad Saulem cruciandum. Nullus enim humor magis quam hic opportunus est diabolo, ut homines vexet, tentet, incitetque ad merorem, invidiam, iram, desperationem. Quare demon, qui agit

per causas naturales, maxime utitur humore melancholico ad homines agendum in angores, scrupulos, diffidentias, dissensiones, aversiones, odia, rixas, credes, etc. Talis fuit lunaticus ille a Christo curatus, qui cum luna crescente melancholia et mania magis agitabatur a daemone, *Matth.* XVII, 14.

Hinc Franciscus Valesius, *Sacrae Philos.* XXVIII: « Daemones, ait, melancholicos invadunt, aut melancholicos morbos maxime omnium paratus est hominem in insaniam et desperationem adigere: quod maxime nequam illi spiritus exoptant. Ille mor enim melancholicus cor deprimit, gravat, contristat, ac cerebrum atra fulgine, quasi caligine obnubilat; ut per eam omnia atra, tristitia, noxia, inimica, horrida videantur. » Quocirca, qui tentationes diaboli evadere cupit, caveat a melancholia; si a natura vel casu tristitiam habet, contra eam pugnet, omnibusque ejus imaginatibus et suggestionibus, viriliter et constanter resistat, v. g. cum suspiciones, timores, angores, scrupulos ingerit, dicat: Non credo vobis; vos enim proceditis a meo hoste, scilicet a daemone et melancholia: falsa sunt, inepta, stulta, quae mihi representatis; contraria ergo, quae vera sunt, opta et prudentia amplectar. Sic enim dicimus illi qui, laborans vertigine, putat omnia verti et gyrare: falleris, amice, nihil gyratur nisi tuum cerebrum; eusque vertigine que te gyrat, fit ut omnia quae quiescunt, tibi gyris agitato gyrari videantur. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, aiebat, « nihil efficacius esse ad vincendos daemones, quam laetitia spirituale. » Et S. Jacobus, *epistola* cap. v, 3: « Tristatur aliquis vestrum? oret: Equo animo est? psallat. » Hac de causa in officio divitiae utitur Ecclesia cantu et musica, ut fideles exaltet ad devotionem, alacritatem, laetitiam, quibus Deo serviant, diabolo resistant, et ad omne opus virtutis alacres procedant. Id in se expertus S. Augustinus, initio conversionis suae, sic ait libro IX *Confess.* cap. vi: « Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae infuabant auribus meis, et eliquabant inde affectus pietatis, et urebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis. »

Et S. Basilus in *Proemio Psalmorum*: « Psalmus, inquit, est proligandis demonibus ac depellendis quoddam amuletum: Anglicae tutele conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelarum protectio, consistentium in aetate flore decus et ornamentum, senum solamen. Denique mundus est mulieribus exornandis appositissimus. » Et nonnullis interjectis: « Psalmus est animarum tranquillitas, arbiter insonda pacis, cujus annuita exundantes ac tumultuarie cogitationes se contrahunt et conguiescunt, etc. Psalmus est opus

Stupe
en ta
metalia
mox
musica
gratular.

David
cithara
psallit
daemone
agitante,
quod vi
Resp.
tristia.

Musica
excitat
affectus.

Angelorum, spirituale thymiamata. » Atque ut alios plures præteream, S. Ambrosius, *Præfat. in Psal.*: « Psalmus, inquit, beneficium populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesie, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor iocunditatis, lætitiæ resultatio, iracundiam mitigat, sollicitudinem allevat, mororem allevat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordie: citharæ modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Dicit ortus psalmum resultat, psalmum resonat occasus. »

Hac de causa Eliseus, parans se ad excipiendam a Deo prophetiam, iussit adduci psaltem, ut ejus psalmodia mens sua in Deum elevaretur, aptareturque ad illuminationem divinam, lib. IV Regum III.

Vis ergo naturalis musices et citharæ Davidis, leniens melancholiam Saulis, consistebat in duobus: primo, quod diverteret ejus phantasiam a tristium rerum cogitatione, ad attendendum lætis musices sonis et cantibus; secundo, quod ipsa voluptas cantus eum exhilararet, itaque melancholiam abigeret vel mimeret. Ita Lyranus, Abulensis, Valesius, Sanchez, Serarius et alii.

Verum potior vis hujus citharæ erat supernaturalis, nimirum quod David citharæ pulsus mentem suam excitabat (æque ac fecit Eliseus, ut dixi), ut ferventius oraret Deum pro Saulis salute: unde Deus eum exaudiens, ob Davidis ferventes preces et merita abigerat demone a Saul, et Saulẽ sibi mentis restituere. Ita Josephus (qui addit Davidem citharizando psalmos recitasse), Theodoretus, Lyranus, Abulensis, Serarius. Simili modo S. Franciscus Senensium animos in mutua odia a demone excitatos, per canticum solis (quod recensui *Ecles. XLIII, vers. 2*) sedavit et ad pristinam concordiam redegit.

Allegorice, cithara representat crucem Christi; sicut enim chordæ in cithara distendantur, sic Christus distensus fuit in cruce. Audi Angelolum: « Non enim illius tanta virtus erat, sed mysterium crucis Christi per lignum extensione nervorum mystice gerebatur, in qua etiam passio cantabatur. » Sic et Prosper, parte II *Predic. cap. XIV*. Imo Angelolum, Eucherius et Beda censent malum spiritum pulsam a Saul virtute crucis Christi futuræ, cujus typus erat cithara Davidis: sicut Hebræi liberati sunt ab Angelo percutiente et Ægypto per sanguinem Agni Paschalis, qui erat typus sanguinis Christi in cruce immolandi.

His S. Augustinus, serm. 3 *De Tempore*, docet citharam representare carnem Christi. Audi eum: « Adhuc citharam respice, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur: ars, manus et chorda; et tamen unus sonus auditur: ars dicitur, manus tangit, resonat chorda.

tria pariter operantur, sed sola chorda personam quod audiatur, nec ars nec manus sonum reddunt; sed ea cum chorda pariter operantur: sic nec Pater nec Spiritus Sanctus susceperunt carnem; et tamen cum Filio pariter operantur: sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accipit; operatio in tribus convenit, sed quoniam ad solam pertinet chordam soni reddito, sic pertinet ad solum Christum carnem humane susceptam. »

Idem Augustinus in *Psal. XXXVI*, ad illa: *Emerge psalterium et cithara*: « In psalterio, ait, chore desuper sonum accipiunt, in cithara autem ex inferiore parte; sic per carnem suam duo genera factorum operatus est miracula et passionem. Miracula desuper fuerunt; passionem de inferiori fuerunt: illa enim que fecit miracula, divina fuerunt, sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo divina operans, psalterium est: caro humana patiens cithara est. Sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudii, surgant egroti, resurgant mortui; iste est sonus psalterii. Sonet et cithara, esuriat, siliat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. »

Inne et sancti, qui vel martyrium subierunt, vel carnem mortificaverunt cum vitis crucifixerunt, citharizant Deo in citharis suis, *Apoc. XIV, 2*. Vide ibi dicta.

Symbolice, Rupertus per citharam accipit dulcedinem predicationis Evangelii: hec enim sua suavitate ad se rapuit omnes gentes. « Movit Amphion lapides canendo: » multo magis saxa corda fregit Christus predicando.

Tropologice, spiritualis cithara est sermo lenis et blandus; item docta et pia concolia vel exhortatio: adhuc psalmodia et oratio, quibus leniantur et lætantur ad pietatem duræ, superbae, iracunde et avare hominum mentes, juxta illud *Prov. XV, 1 et 4*: « Responsio mollis frangit iram, lingua placabilis, lignum vitæ. » Vir mansuetus medicus est cordis. Et *Eccles. VI, 3*: « Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. » Sic de Judæis Christum audientibus ait Lucas, *cap. IV, vers. 22*: « Mirabantur in verbis gratiæ, que procedebant de ore ipsius. » Ita Angelolum: « Cum sensus potentium, ait, per elationem in furorẽ vertitur, dignum est ut ad salutem mentis, locutionis nostræ tranquillitate, quasi dulcedine citharæ revocetur. » Idem iisdem verbis habet Eucherius.

Denique qui tam in adversis, quam prosperis Deum laudat, sique gratias agit, hic Deo et hominibus citharizat. Audi S. Augustinum in *Psal. XXII*: « Confilere Domino in cithara: sive tibi abundet aliquid, gratias age illi, qui dedit; sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, cithariza securus. Non est enim ille tibi ablatum qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, cithariza securus, certus

in Deo tuo, tange chordas in corda tuo, et dic tanquam in cithara in inferiore parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abtulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. »

^{Sancti Hieronimus dicitur per citharam Davidicam.} RECEDEBAT ENIM AB EO SPIRITUS MALUS. — Videtur ergo demon, qui prius ad pulsum citharæ Davidis remiserat de sua savitia vexandi Saulem, eodem pulsus sæpius iterato et continuato tandem plane victus, a Saule recessisse. Pro *recedebat* enim Hebræa et Græca habent, *recessit*, ideoque Saul jam sanatus Davidem ad patrem Jesse domum remisit. Unde *cap. sequenti* Saul Davidem ad se redeuntem non agnovit; sed parla a Davide contra Goliath victoria, audiens populum illi acclamare: « Percussit Saul mille, et David decem millia; » invidia et odio in eum exardescens, sed vitium a demone agitari cepit, ut patet *cap. XVII, 10*; nec deinceps ab eo liberatus legitur,

quia Davidem, quasi æmulum, ejusque citharam amplius non ferebat.

Porro David, a Saule dimissus, ad patrem et oves suos rediit; non eo quod immineret bellum Sauli a Philisteis; ut ait Josephus et Abulensis; sed quia Saul jam curatus Davide non egebat, ac David magis carum quam aulam, id est vitam privatam quam aulicam, diligebat. *Tunc* vero, ait Chrysostomus, *hom. in Psal. I*: « David adolescens, civitates quidem ac turbas aufugiens, per eremum vero philosophatus nihil commone secularium habens, non negotiationes, non fenerationes, non aliquid difficile mundi hujus, sed et parva ætate in deserto silentii habitabat; et sicut in portu tranquillo, in eremo sedens ovium curam habens, regnum cælestis meditabatur: ac non robore corporis, sed virtute fidei ursos et leones gregem suum invadentes occidebat, » ut ipse ait *cap. seq. vers. 35 et 36*.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duellum Davidis cum Goliath, in quo David cum funda, vers. 49, prostravit, et gladio proprio caput amputavit. Unde fugavit, vers. 52, Philistei, ac cadentes eos insequentes Hebræi. Denique, vers. 57, Abier Davidem triumphantem et manu gestantem caput Goliath ad Saulem deduct.

1. Congregantes autem Philistiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ, et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommin. 2. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnam contra Philistiim. 3. Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi; 5. et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamata induebatur. Porro pondus lorice ejus quinque millia siclorum æris erat; 6. et creas æreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus. 7. Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorum textentium; ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri, et armiger ejus antecedebat eum. 8. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisteus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen: 9. si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi; si autem ego prævalero, et percussero eum, vos servi eritis et servietis nobis. 10. Et aiebat Philisteus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie. Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. 11. Audiens autem Saul, et omnes Israelitæ, sermones Philistei hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. 12. David autem erat filius viri Ephratæ, de quo supra dictum est, de Bethleem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros. 13. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium, et grandævus inter viros. 14. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium, et grandævus inter viros. 15. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium, et grandævus inter viros. 16. Procedebat vero Philisteus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus. 17. Dixit

autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, 18. et decem formellas casei has deferes ad tribunal, et fratres tuos visitabis, si recte agant; et cum quibus ordinati sunt, disce: 19. Saul autem, et illi, et omnes filii Israel in valle Terebinthi pugnabant adversum Philistiim. 20. Surrexit itaque David mano, et commendavit gregem custodi; et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai; et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. 21. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philistiim ex adverso fuerant preparati. 22. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. 23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philistæus, de Geth, de castris Philistinorum; et loquente eo hæc eadem verba audivit David. 24. Omnes autem Israelite, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde. 25. Et dixit unus quispiam de Israel: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magis, et filium suam dabit ei, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel. 26. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro qui percusserit Philistæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philistæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis? 27. Referabat autem ei populus eundem sermonem dicens: Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. 28. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare derelquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui; quia ut videres prælium, descendisti. 29. Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est? 30. Et declinavit paululum ab eo ad alium; dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31. Audita sunt autem verba quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul. 32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concedat cor cujusquam in eo; ego servus tuus vadam, et pugnabo adversum Philistæum. 33. Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum; quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34. Dixitque David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis; 35. et persequebar eos, et percutiebam, crucebamque de ore eorum, et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. 36. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus; erit igitur et Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi; quoniam quis est iste Philistæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? 37. Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. 39. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cepit tentare si armatus posset incedere; non enim habebat consuetudinem, 40. et tunc dicit ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo; et deposuit ea. 41. Ibat autem David baculum suum, quem semper habebat in manibus; et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente; et misit eos in peram pastorem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philistæum. 42. Cumque inspersisset Philistæus et vidisset David, despexit eum; erat enim adolescens rufus et pulcher aspectu. 43. Et dixit Philistæus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? et maledixit Philistæus David in diis suis. 44. Dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ. 45. Dixit autem David ad Philistæum: Tu venis ad me

eum gladio, et hasta, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti 46. hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percussuram te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philistiim hodie volatilibus cæli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. 47. Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus; ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. 48. Cum ergo surrexisset Philistæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi. 49. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philistæum in fronte, et influxus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram. 50. Prævaluitque David adversum Philistæum in funda et lapide, percussumque Philistæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, 51. cucurrit, et stetit super Philistæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua; et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philistiim quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52. Et concurrentes viri Israel et Juda vociferati sunt, et persecuti sunt Philistæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philistim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. 53. Et revertentes filii Israel, postquam persecuti fuerant Philistæos, invaserunt castra eorum. 54. Assumens autem David caput Philistæi, attulit illud in Jerusalem; arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. 55. Eo autem tempore, quod viderat Saul David egredientem contra Philistæum, ait ad Abner principem militum: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi. 56. Et ait rex: Interroga tu cujus filius sit iste puer. 57. Cumque regressus esset David, percusso Philistæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philistæi habentem in manu. 58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

4. ET EGRESSUS EST VIR SPURIUS. — Pro spurius Hebraice est בְּנֵי־בְנַיִם *benaim*, quod primo Vatablus, Pagninus, Marinus et Rabbinii vertunt, *inter duas acies*, q. d. *intermedius*, sequester, duellio, qui scilicet inter duas acies Hebræorum et Philistinorum medium se interponeret, ac Hebræos provocaret ad duellum secum incedendum.

Secundo, alii *benaim* vertunt, *instar duorum*; Goliath enim tam magnitudine, quam robore par erat duobus. Unde Septuaginta vertunt: *divaric*, id est *potens*.

Tertio, recte Noster vertit, *spurius*, nam *benaim*, cum sit duale, ad verbum idem est quod, *inter duos*, scilicet patres conceptus, cujus scilicet pater est incertus; qui olim S. P. id est *sine patre*, scilicet certo, dicebatur: ideoque *spurius*, ait ex Plutarcho Sigonius in *Nomin. Romanis*. Quia enim furivi fornicariorum amores solent esse vehementes et ardentes, ideoque totos se suaque in generatione effundunt, ac procreant gigantes et monstra. Hæc enim originis gigantum fuit causa, ut dixi *Genes. vi*. Audi S. Isidorum, lib. IX *Orig. cap. v*, hæc spurio Nostera dantem: « Nothus dicitur, qui de patre nobili et matre ignobili gignitur, sicut ex concubina. Est autem hoc nomen græcum, et in latinitate deficit. Huic contrarius est spurius, qui de matre nobili et patre ignobili nascitur. Idem spurius patre incerto, matre vidua

genitus: velut, tantum spurii filius, quia muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut *ἀνο πατρός*, hoc est seminis non patris nomine. Eosdem et favonios appellabant, quia quedam animalia favonio spiritu hausto concipere existimantur. Unde et ii qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius quam patrem sequuntur. Latine autem spurii, quasi extra puritatem, id est quasi immundi. »

Spurius ergo a *ἀσπίς*, id est *seminare* dicitur, eo quod a patre nil habeat nisi semen.

Porro Rabbinii aiunt vel potius fingunt Goliath ex Orpha progenitum, Davidem ex Ruth. Idem asserit Philo in *Antiq. Biblicis*; sed hic est Pseudophilo et Prudentius in *Hammartig*. Vide dicta *Ruth. cap. i*.

NOMINE GOLIATH. — Goliath hebraice idem est quod *captivitas, transmigratio, revolutio*, ait Pagninus. Apte: nam ipse, captus et cæsus a Davide, causa fuit quod Philistæi socii sui caperentur et cæderentur ab Hebræis, itaque victoria et imperium a Philistæis transmigraret et revolveretur ad Hebræos, primos Philistæorum dominos.

ALTITUDINIS SEX CEBITORUM ET PALMI. — Erat enim de stirpe gigantum, ait Nazianzenus, *Orat. 30*, et Philastrius, *Hæres. 39*.

5. ET LORICA SCUMATA INDUEBATUR. — Regia legunt, *hamata*; sed legendum cum Romano, Chal-

deo, Vatablo et Pagnino, *squamata*, id est squamis aereis operata et tecta, ait Vatablus. Septuaginta tamen vertunt, *hamata*, id est hamis, id est catenulis contexta, de qua Virgilius, lib. III *Aeneid.* :

Loxicam consertam hamis, auroque trilicem (1).

Porro, lib. I *Regum* xvii, 19, dicitur Adeodatus Bethlehemitis percussisse Goliath Gethaem, «cujus hostile erat quasi licitorium textentium.» Unde Chaldaeus, Rabanus, Lyranus, Glossa et Rabini per Adeodatum accipiunt Davidem, ut sit eadem historia et pugna cum hac qua hoc capite describitur.

Mellus Iosephus, Abulensis, Serarius et alii censent esse diversam, eo quod I *Paral.* xx, 6, Adeodatus dicitur percussisse fratrem Goliath: quare sicut David percussit Goliath, sic Adeodatus unus ex fortibus militibus Davidis percussit fratrem ejus qui pariter vocabatur Goliath, aut certe dicebatur Goliath, quia proceritate et robore, aequae superbia et audacia similis erat Goliath Davidis. Sic vulgo dicimus de viro forti: Iste est alter Samson, vel alter Hercules.

7. HASTILE AUTEM HASTAE EJUS ERAT QUASI LICITORIUM (Chaldaeus et Vatablus, quasi *jugum*) TEXENTIUM. — *Licta* vocantur fila quibus in pannis textores implicant et intexunt stamina, idque circa lignum crassum, quod ab *his licitorium* dicitur vel *jugum*, eo quod textores telam illi jungant et circa illud convolvant. Unde Ovidius, lib. VI *Metamorph.*: «Tela jugo est juncta.»

8. ELIGITE EX VOBIS VIRUM, ET DESCENDAT AD SINGULARE CERTAMEN. — Subinde licet bellum vertere in duellum, cum id publica auctoritate fit; ut unius eade multorum strages redimantur. Sicut Romani bellum cum Albanis verterunt in duellum trium Horatorum cum tribus Curiatis, utrimque tergeminis fratribus. Vide Theologos de bello et duello disserentes. Verum Goliath hic inique et ex fastu duellum hoc ambivit, et ad illud singulos Hebraeos provocavit, confisus sua proceritate, robore et armatura, putans neminem sibi posse aequari vel resistere; quare merito Deus ejus fastum stravit per Davidem; ut sepe in duellis provocantes justo Dei vindictis judicio succumbunt et ceduntur. Sic Radislaus dux Curmiensis, iniuste invadens Bohemiam, ejus regem S. Wenceslaum provocavit ad duellum; acceptavit illud rex sanctus, ut bellum duello et populi periculum suo unius redimeret. Dum ergo equum conscendit, vidit ejus adversarius illi ab Angelo hastam porrigi, se vero hac voce caelesti moneri: «Noli ferre.» Quo viso perterritus, ex equo desiliit, ad pedes S. Wenceslai prociidit, veniam petiit, quam ei rex mitis, ad parcendum quam ad ulciscendum pronior, illico indulxit. Ita habet ejus Vita et Aeneas Sylvius, cap. xv *Bohemia*. Audi S. Ambro-

(1) Lorice squamate Goliath pondus erat centum et viginti librarum, unaquaeque sexdecim uncias habens.

sium, libro I *Offic.* cap. xxxv: «Nunquam David nisi laesisset bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prelio. Nam et adversus Goliath, immensi mole corporis virum singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit. Virtus enim suis laecitis magis quam alienis integumentis nititur. Deinde eminus, quo gravius feriret letu lapidis hostem interemit: postea nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. Ideo in omnibus victor praelis usque ad summam senectam manu promptus, bello adversum Titanas suscepto, ferocibus bellator miscbatur agminibus, glorie cupidus, incuriosus salutis.»

13. ABIERUNT AUTEM TRES FILII EJUS MAJORES POST SAUL IN PRAELIUM. — Ergo Saul jam per Davidem citharizantem liberatus erat a spiritu malo: alioqui enim nec ivisset ad praelium, nec Davidem a se dimississet.

17. ACCIDE FRATRIBUS TUIS EPHI POLENTE (1), etc. Ven. it. 18. ET DECEM FORNELLAS CASEI, — id est, ut Ven. it. Chaldaeus et Vatablus, et decem *casos lactis*; ex lacte enim coagulantur casei in formas rotundas vel quadratas, quae *formelle* vocantur.

Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197, qui est de Davide et Goliath, totum hoc caput et duellum explicat de Christo duellante cum diabolo: «Isai, inquit, gessit tyrum Dei Patris. Isai misit David ut requireret fratres suos; et Deus Pater misit unigenitum suum, ex cujus persona scriptum est: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ad requirendos enim fratres suos venerat Christus, quando dicebat: Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel.» Et paulo post: «Venit ergo David cum tribus mensuris, et decem fornellis casei, ut fratres suos in prelio positos visitaret; quia venturus erat Christus cum decalogo legis et mysterio Trinitatis, ut genus humanum de potestate Diaboli liberaret.»

ET CUM QUIBUS ORDINATI SUNT DISCE. — Hebraice *קרבתי arubatham*, id est *mixtionem eorum accipe*, hoc est, cognosce cum quibus mixti et sociati sunt. Forte Noster pro *קרבתי arubatham*, legit vicium *קרבתי arucatham*, id est *ordinem eorum*. Unde vertit, *cum quibus ordinati sunt disce*; Septuaginta, *quibus indigent cognosce*; Chaldaeus, *bonitatem eorum offer*; Pagninus, *piquus eorum tolle*, id est *redime*; Vatablus, *offer quaedam diversi generis (quasi mixta) quo illis tradas*.

20. ET VENIT AD LOCUM MAGALA. — Locusta dicitur quasi *Castrorum vallum* a circulari forma; *קרי* *agol* enim significat rotundum sive circum; vel a curvum ambitu; hisce enim vallare solent castra, ac curvus rotundis sive circularibus aguntur rotis. Unde Septuaginta vertunt, et *venit in rotunditatem*; Chaldaeus, *venit in castra*; Vatablus, *venit in vallum castrorum*.

(1) Ephi erat mensura continentis triginta lagenas, et polenta efflicebatur farina hordeacea cocta et fracta, et lacte aquae mixto condita.

26. QUIS ENIM EST HIC PHILISTAEUS INCIRCUMCISUS, QUI EXPROBRAVIT ACIES DEI VIDENTES? — Ecce jam spiritu Dei impellente David parturit monomachiam cum Golia, ut honorem tum Dei, tum Israelis teneat. Unde S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, *serm.* 47: «David, ait, perterritis omnibus, allophyllimpetum luit, et singulari certamine summam belli et totius praelii pondus exceptit, virtute sua solus commune crimen reflens et totius rectorquens in hostem plebis opprobrium.» Et *serm.* 18, docet Davidem hic praesuisse Christo: «Gebebat enim tyrum ejus, inquit, qui quasi despectus venturus esset in terras, et sine legato, sine adjutore, sine nuntio totum populum mundi hujus crucis suae praelio liberaret; cui applaudent animae sanctorum per baptismatis Sacramenta renovatae, quod verum illum Goliath revelatum nobis ac proditum, verbi sui gladio trucidasset. Jaet igitur versus Goliath humilitate Filii Dei stratus; amisit caput quod in multas artes vertebat et fraudes. Peallunt secure jam animae, quae ante peccatorum suorum tormenta delfebant. Dicunt tympanis, hoc est corporibus suis peccato mortuus resultant; Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus. Rex ille durus indignatur, et irascitur diabolus, eo quod canerent juvenulae, quia duritia filius paucos decepit, Christus totum mundum redemit.»

28. QUOD CUM ADISSET ELIAS FRATER EJUS MAJOR, etc., IRATUS EST CONTRA DAVID, etc., — vel ex prudentia humana arguens Davidis juvenis curiositatem, superbiam et temeritatem, quasi qui monomachiam cum gigante ambiret; vel idipsam faciens ex quadam emulatione vel invidia, ait Theodoretus. Unde allegorice S. Augustinus, *sermone* 197 jam citato: «Frater iste senior, inquit, qui David tyrum Christi gerentem per militiam increpavit, significavit populum Judaeorum, qui per invidiam Christo Domino, qui pro salute humani generis venerat, detraxerunt, et multis frequenter injurias affecerunt. Quare, inquit, dimisit oves illas et venit ad praelium? quasi non tibi videtur per os ejus saluti hominum invidens diabolus loqui: tanquam si diceret Christo: Quare dimisit nomaginta et novem oves quae non erraverant, et venit ut unam requireeres quae perierat, et eam de manu spiritualis Goliae, id est, de potestate diaboli per crucis baculum liberatum ad ovile proprium revocares. Quare, inquit, dimisit oves paucas illas?»

29. NUMQUID NON VERBUM EST? — *g. d.* Non quæro bellare, uti me videris arguere quod ea de causa oves deseruerim, sed tantum sermociner de communi rumore et loquela, quae in omnium ore circa hunc giganteum versatur. Ita S. Chrysostomus, *homil.* 46 in *Gen.*: «Vide, ait, hujus prudentiam et mansuetudinem. Nil temerarium vel asperum in loquatur, sed reprimens eorum flammam et demulcens invadentem, inquit: Numquid, inquit, vidistis me arma arripere? Numquid vidistis me

adordinari ceteris in acie? Tantum videre volui et interrogare: Unde tantum huic insanie?»

31. AUDITA SUNT AUTEM VERBA QUAE LOCUTUS EST DAVID, — inquiring de praemio vincentis Goliath; unde illa audientes cognoscebant ejus animositatem et desiderium duellandi cum Goliath illi a Deo immissum; ideoque rem totam annuntiarunt Sauli, qui Davidem videns et audiens tanto animo ad duellum cum gigante se offerentem, agnovit in eo aliquid esse caeleste et divinum. Nam, ut ait S. Chrysostomus, *hom. De Davide et Saule*, David non ex superbia vel temeritate, sed accensus zelo et patrie charitate ad barbarum cucurrat.

36. NAM ET LEONEM ET URSUM INTERFECIT. — Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197: «David, id est Christus, tunc leonem et ursum strangulavit, quoad ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit. Denique audi Prophetam ex persona Domini supplicentem: Erue a fratre animam meam, et de manu canis unicum meum; libera me ex ore leonis. Et quia ursus in manu fortitudinem habet, et leo in ore, in istis duabus bestiis idem diabolus figuratus est. Hoc ergo ex persona Christi dictum est, ut unica ejus Ecclesia de manu, id est, de potestate, vel de ore diaboli tolleretur.»

Tropologice, Abbas Premen rogatus a quadam tentato spiritu fornicationis, ut daret sibi remedium, respondit illud David, I *Reg.* xvii: «Quia leonem quidem percutebam, nam et ursum frequens sufficebam. Hoc autem ita intelligitur, quia furorom ab animo meo abscedebam, fornicationem autem in laboribus affligebam.» Ita Rufinus in *Vitis Patrum*, lib. III, num. 46.

38. ET INDUIT SAUL DAVID VESTIMENTIS SUI. — Videbat enim tantos Davidis animos non posse esse nisi a Deo; illum ergo a Deo agi ad hoc duellum censebat. Hinc patet Davidem proceri fuisse corpore; alioqui enim proceri Saulis vestes et arma illi aptari nequiverunt. Minus enim congruum est quod ait Lyranus, Serarius et alii, vestes has dici Saulis, non quod essent ipsius, sed quod ex vestuario ejus essent deponenda. Pejus Rabbini fingunt Deum vestes Saulis adaptasse corpori Davidis. Fecit hoc Saul, ut Davidem honoraret et amaret ad duellum.

40. ET TULIT BACULUM SAUL, etc., ET ELEGIT SIBI QUINQUE LIMPIDISSIMOS LAPIDES DE TORRENTE, ET MISIT EOS IN PERAM PASTORALIS, — quali uti solent pastores, ut in ea reculas suas reconant. Minus apte ergo S. Chrysostomus, S. Augustinus et Rupertus pro *peram* vertunt *stridam*, sive *madram lactis*, in qua pastores solent mittere lac ex ovibus. Ad quid enim *madra* in hoc duello?

ET PROCESSIT ADVERSUM PHILISTEUM. — «David hominibus videbatur inermis, sed gladio divinitatis erat armatus,» ait S. Ambrosius, *serm.* 88. Allegorice S. Augustinus, *serm.* 197: «David, inquit, gessit tyrum Christi. Quis enim contra

Goliath, id est, diabolus pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius, fratres, qui universum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno? Stabant ergo filii Israel contra adversarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora et quatuor partes orbis terrarum, vitam presentem significat, in qua contra Goliath et exercitum ejus, id est, contra diabolum et angelos Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen vincere posset, nisi verus David, Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. » Et post nonnulla: « Venit ergo Christus et alligavit diabolum. sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum praevaluit? Verum est, fratres charissimi, quia multum praevaluit, sed tepidus et negligentibus, et Deum in veritate non fimentibus dominatur: alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi morifera securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille quem canis in catena positus mordet. Tu, te illi per voluntates et cupiditates saeculi noli conjugere, et ille ad te non praesumat accedere: latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo necet, nec extorqueat a nobis consensum, sed petit. » Et mox: « David tulit baculum, Christus portat crucem. »

Tropologicae S. Bernardus, sermone in *Dominicum IV post Pentecosten*, per quinque lapides Davidis accipit quinque virtutes, quibus prosternimus Goliath, id est mentis elationem, nimirum comminationem penarum, promissionem praemiorum, dilectionem Dei, imitationem sanctorum, et orationem.

Hinc rursus S. Augustinus in *Psal. xxxiii*, conc. 1: « Quod David, ait, prostravit Goliath, Christus est, qui occidit diabolum. Quid est autem Christus, qui diabolum occidit? humilitas occidit superbiam. Et mox: « Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad Deum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis preponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophete, Patriarchae, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis: ut vel si superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. »

42. DESPEXIT EUM: ERAT ENIM ADOLESCENS RUFUS ET PULCHER ASPECTU. — « Despexit » Goliath Davidem, quia ipse erat adolescens, ac pene inermis et pulcher. Despexit ergo ejus aetatem, arma et pulchritudinem. Astimabat eum imbellem, eo quod esset tam pulcher. Bellicosi enim solent esse vultu maritio et feroci, non elegant et pulchro.

Unde Isidorus Clarius: « Despexit, inquit, eum quod non esset vir bellicosus, et pugnis assectus, nam cernebat eum juvenem rubicundum, et pulchro aspectu, quales Martiales homines esse non solent, quos radii solares et assidua defatigatio deformes reddunt. »

Hinc Tertullianus bellum Messiae de quo dicitur *Psal. xlii*, vers. 4: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potenterissime, » lib. IV *Contra Judaeos*, cap. ix, probat fore spirituale, non corporale, eo quod praecessit vers. 3: « Speciosus forma praefiliis hominum. » Valde autem, ait Tertullianus, absurdum est, si quem ad bellum esse cingebat, ei de tempestivitate decoris et laborum gratia blandiebatur. » Unde Seneca in *Hippolyto*: « Quam grata est, inquit, species torva viriliter. » Aristoteles in *Ethicis*, ait primam pulchritudinis partem esse, « ut corpus aptum sit ad ferendos labores; » additque requiri quamdam in « vultu ferociam, ut hostibus terribilis videatur, » qualem in Alexandro Magno fuisse docet Ithodiginus, lib. IX, cap. xxiv, qualem Cicero, lib. I *De Officiis*, vocat « dignitatem virilem, » ac talem in Davide fuisse, et cum aetate bellique quae assidue gessit crevisse non est dubium, ut patet ex hoc conflictu cum Goliath, et magis patet ex sequentibus. » Praestantissima forma, ait Euripides, digna est imperio. » Sicut enim difformitas in Juliano Apostata, ut refert D. Gregorius Nazianzenus, *oratione 4* contra illum, et in Caligula, Othone, Galba et similibus, ut refert Tranquillus, non obscure prodidit illos pessimos fore Imperatores, ita plane dignitas et liberalitas formae eos optime imperatores praemonstravit. Nam de Julio Caesare: « Colore fuisse candido, teretibus membris, ore pleniore, vegetisque oculis; » de Augusto: « Forma fuisse eximia, et per omnes aetatis gradus venustissima; » de Tito Vespasiano: « Forma egregia, et cui non minus auctoritas inesset, quam gratiae, » testatur Suetonius in eorum *Vitis*. Idem de Alexandro scribit Plutarchus.

Polybius, lib. IV, laudat Philippum Macedoniam regem, Alexandri parentem, ab specie atque egregio aspectu, addens non facile fuisse regem reperire pluribus naturae dotibus ornatum. Et de Scipione Plutarchus in ejus *Vita*: « Erat, ait, Scipio animo aliisque virtutibus vehementer excellens, sed praestantiori etiam pulchritudine oris, totiusque corporis forma conspicuus, leta, atque hilari fronte, quae plurimum valent ad gratiam conciliandam. » Pacatus in *Panegyri ad Theodosium*: « Augustissima, inquit, quaeque species plurimum creditur habere et caelo. » Et subdit: « Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium; illa praestitit ut oporteret te principem fieri, haec ut deceret. »

43. NEMQUID CANIS EGO SUM? — quasi dicat, ait S. Chrysostomus, hom. 46 in *Genes*.: « Putasti adhuc apud oves esse, et canes quosdam persequi; et ita contra me, quasi contra canem instru-

mentis illis instructus in pugnam venisti? statim experientia discas non tibi cum homine vulgari bellum esse. »

Sed vero Goliath impudentia, infidelitate, spurcilia erat canis; ideoque ut canis lapido percussus est a Davide. Audi S. Paulinum, *Natali 5*:

Ille gigas pueri fonda pastoris obivit,
Ut canis.

ET MALEDIXIT PHILISTEUS DAVID IN DIIS SUI, — dicendo, v. g.: Perdant te dii nostri, percutiat te noster Dagon. Porro David, ait Basilius Seleucianus, *orat. 15*, hinc animos et omen victoriae capiebat, dicens: « Maledicam inimici linguam, victoriae pignus teneo; » tum quia maledicos punire, tum quia deos Gentium humiliare solet Deus cum suis cultoribus.

45. DIXIT AUTEM DAVID AD PHILISTEUM: TU VENIS AD ME CUM GLADIO ET HASTA ET CLYPEO, EGO AUTEM VENIO AD TE IN NOMINE DOMINI EXERCITUM. — Hinc patet Davidem a Deo impulsus susceperit hoc duellum; alioqui enim timore juvenis giganti, inermis armato, imbellis bellicosus se opposuisset. Ita Iosephus, Theodoretus et alii. Deus ergo illi animos aequae ac vires indidit, ac spem certam victoriae. Unde subdit David:

46. ET DABIT TE DOMINUS IN MANU MEA. — *g. d.* Cicero plane inermis tibi armato occurro, ut ostendam me uno Deo niti, et in eo omnem victoriae spem reponere, quod scilicet ipse te adeo elatum mea manu percutiat et occidat. « Sic, sic, ait S. Augustinus, *serm. 5 De Verbis Apostoli*, aliter non, omnino aliter non prosteratur inimicus. Qui pugnat viribus suis, antequam pugnet ipse prosternitur. » Haec voces Davidi inermi victoriam et regnum pepererunt. Unde Basilius Seleucianus, *orat. 15*, exclamat: « O plenas amoris divini voces, vel ante victoriam politas victoria! O qui palam fecisti fidem ad pugnam armis non indigere! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! tales animas legere novit gratia: quare et cura gregis distentum vocavit ad regnum. »

Audi S. Chrysostomum, homil. *De Davide et Goliath*: « David dixit ad eum: Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo; tu terrenis dimitas, ego caelestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace: tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exercetur; Dei est enim haec pugna, Dei erit et ipsa victoria. »

Porro Iosephus, lib. VI *Antiq. cap. x*, Davidem Goliath dixisse ait: « Tu me invadis hasta tua confusus, et thorace et gladio; mihi vero pro armatura Deus est, qui te ac tum exercitum hodie nostris manibus deleturus. » Nota *3* *mihi* vero pro armatura Deus est. « Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? » Rom. cap. viii.

49. PERCUSSIT PHILISTEUM IN FRONTE: ET INFIXUS EST LAPIDEM IN FRONTE EJUS, ET CECIDIT IN FACIEM SUAM

SUPER TERRAM. — Chaldaeus, percussit Philisteam super domum oculorum ejus, et infixus est lapis in domo oculorum ejus, et cecidit super nasum in terram. Ergo Goliath galea sua texerat caput, sed non frontem, praesertim quia Davidem quasi inermem despiciebat; aut si eam texerat, tam valide David roboratus a Deo lapidem vibravit, ut galeam perforingeret.

Hinc patet primo Davidem fuisse insignem fundibularium: petiit autem frontem Goliath, quia ea perfecta laedebat cerebrum Goliath, a quo omnis spiritus, motus et sensus manat; itaque fecit eum quasi exanimem et stupidum in terram currerem. Patet secundo ictum hunc Davidis adeo fuisse validum, ut lapis frontem Goliath terebraret et cerebrum ferret; inde enim quasi motu et sensu destitutus concidit. Ita Abulensis et Prudentius in *Psychomachia*:

Trajectumque cavo terebravit vulnere frontem.

Tertio patet primo unius lapidis ictu Goliath corruisse. Minus ergo bene Glossa et Hugo censent Goliath ternis lapidibus et ictibus a Davide prostratum fuisse, ut trinam Christi a diabolo tentati repulsam et victoriam representaret. Addit Chaldaeus, Rabhini et Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiq. Biblicis*, Davidem lapidi quo percussit Goliath, inscripsisse nomen Dei et Patriarcharum. Verius Panthaleon Cartophylax Ecclesiae Chonensis, hom. De S. Michaeli (exstat apud Surium in festo S. Michaelis) asserit Archangelum Michaelem quasi praesidem Synagoga et protectorem Israelis aequae ac Davidis regis per eum percussisse Goliath.

Mystice S. Augustinus, *serm. 197 De Tempore*: « Videte, ait, fratres, ubi David Goliath percussit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam et lapis ille de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est: Lapidem quem reproboverunt edificantes, hic factus est in caput anguli. » Et inferius topologica afferens: « Quod vero, inquit, in fronte percussus est, hoc significat, quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando catechumenus in fronte signatur, spiritalis Goliath percuitur, et diabolus effugatur. »

Idem Augustinus, *homilia 31* inter 50, in fine: « Goliath, inquit, de viribus suis superbus, elatus, inflatus, primo totam victoriam universae partis suae in se uno constituit. Et quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente deiecit est. Evacuata est fronte quae habebat impudentiam superbiae suae: et vicit frons quae habebat humilitatem crucis Christi. Propterea et nos signum ipsum crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus. » Ita S. Augustinus in ista *homilia* cujus titulus est: *De Monomachia Davidis et Goliath*.

Tropologicae daellum Davidis cum Goliath repraesentat.

David
frontem
Goliath
torebravit.

Pulchritudo
maris
grati

sentat luctam spiritus cum carne, qui scilicet carnem suam lapide austeritatis dejicit, et gladio mortificationis caput illi abscondit ne praesit, sed subdit. Unde S. Chrysostomus Goliath vocat « turrim carnaem. » Rursum, subigit sibi frontem, quia in fronte animi in dolens et passiones, ac praesertim superbia, impudentia et feritas cernitur. Unde Aristoteles lib. I. De *Histor. anim.* cap. viii : « Quibus, ait, frons magna est, sunt segnes, quibus parva, mobiles; quibus lata, mente moveri idonei; quibus rotunda, iracundi. » Eadem pene ad verbum habet Plinius, lib. XI, cap. lii, qui et cap. xxviii, addit : « Frons et alii (animalibus), sed homini tantum tristitia, hilaritatis, clementiae, severitatis index. » Denique spiritus validus subigit sibi cerebrum sub fronte latens, quod est officina omnis pravae cogitationis et concupiscentiae.

31. ET TULIT GLADIUM EJUS, etc., Praedicitur caput ejus. — David ergo Goliath suo ipsius gladio peremit. Eo gloriosior fuit ejus victoria; licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen illico mortuus occubuit, sed tunc demum, cum David illi caput amputavit. Porro Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiq. Biblicis*, narrat vel potius fingit Goliath, cum Davidem suum in se gladium stringentem videret, dixisse : « Festina, et interfice me, et exulta. Et dixit ei David : Antequam mortaris aperiri oculos tuos, et vide interfectorem tuum qui te interfecit; et respiciens Alaphythes vidit angelum, et dixit : Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, ejus species non est sicut species hominis. Et tunc David abstulit caput ejus ab eo. »

Allegorice D. Augustinus, serm. 197 De *Tempore* : « Quod, inquit, David non habens gladium ascendit super Goliath, et eum proprio interfecit gladio, designatum est quod in adventu Christi, suo gladio diaboli victus est, qui per nequitiam suam et injustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum. »

Denique unctio Samuelis hic operabatur, hoc enim duello et victoria David stravit sibi viam ad regnum, ad quod a Deo destinatus, et a Samuele unctus erat. Unde S. Hieronymus et alii censent duellum hoc paulo post anctionem contigisse, scilicet unctum fuisse Davidem anno aetatis 20, qui regni Saulis erat octavus, duellum vero hoc misse anno aetatis 22, qui fuit Saulis decimus.

34. ASSIDENS AUTEM DAVID CAPUT PHILISTEI ATTULIT ILLUD IN JERUSALEM. — Prius illud in castra intulit; deinde per urbes circumtulit, ac tandem in Jerusalem velut regni Israelis caput detulit. Quare merito S. Chrysostomus, homil. De *Davide*, cum Goliath devicit, ei congratulans hoc epinicion cecinit : « Quibus ego te laudibus, quibusque gloriis praeferam, sancte ac religioso puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito praeventia; qui potuisti, desistentibus cunctis, immennum bellum vincere, hostem prosternere, inimicum

populi detruncare? Tu enim, deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito exististi. In desistentibus fortiter in praelium prostristi. Tu, fornidanti populo et Goliath savitiam molienti, dum fortissime geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti. »

ARNA VERO EJUS POSUIT IN TABERNACULO SVO, — sed in domo patris sui Jesse, quae erat in Bethlehemi, ac post Saulem rex factus, in regiam suam transtulit. Excipit gladium Goliath; hunc enim David sacrauit Deo et in ejus tabernaculo reposuit, ut esset perenne victoriae hujus a Deo acceptae monumentum; inde enim David fugiens Saulem, gladium hunc a Pontifice recepit in urbe Nohe, uti audimus, cap. xxi, vers. 8. Basiliius Seleucianus, orat. 43 : « Sectum caput, ait, cum sectore gladio, victoriae parenti donatum offert, et cum quae devicerat, Deo offert, et victoriam arrogat. O qui palam egisti fidem ad pugnam nullis egeris armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim (1). »

Porro de gladio hoc ait David, Psal. cxliii, 11 : « De gladio maligno eripe me. » Nam psalmus hic a Septuaginta inscribitur : *Psalmus contra Goliath*; unde et Chaldaeus vertit, *A gladio Goliath eripe me*. Quare David ante duellum psalmum hunc composuisse, eoque Dei opem implorasse videtur; unde mox a Deo animatus, duellum iniit, vicit, triumphavit. Aut potius psalmum hunc, post victoriam, quasi epinicion Deo cecinit. Sic enim oritur : « Benedictus Dominus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum. » Simile epinicion David cecinit Ecclesiasticus cap. xlvii, vers. 6 et seq., ubi et causam victoriae assignat dicens : « Nam invocavi Dominum omnipotentem. »

33. DE QUA STIRPE DESCENDIT HIC ADOLESCENS? — Videtur Saul non agnovisse Davidem qui paulo ante fuerat ei familiaris, amo ejus armiger et citharista. Unde hoc? Respondet primo Pseudophilo paulo ante citatus : « Angelus, inquit, Domini crexit faciem David, et memo agnoscebat eum. Et videns Saul David, interrogavit eum quis esset; et non erat qui cognosceret eum. » Sed hoc est fabulosum.

Secundo, Cajetanus et Tornellus respondent inter duellum hoc et citharizationem Davidis multos intercessisse annos, quibus vultus Davidis crescentis ita fuerit immutatus, factusque virilis, ut nec a Saule nec ab Abner fuerit agnitus. Verum contrarium innuit hic series historiae, in qua citharizationi illico duellum hoc subiungitur; unde Salianus asserit inter utrumque octodecim menses duntaxat intercessisse.

Tertio, Theodoretus et ex eo Procopius respondent Saulem non agnovisse Davidem, vel quia furibundus cithara ludentem non sentiebat, vel quod invidia stimulante diligenter et accurate

(1) Aliqui Interpretes censent Davidem tantummodo post Jerusalem jam captam caput Goliath attulisse.

cognoscere noluit eujus et quisnam esset. Verum nequum audierat Saul voces populi : « Percussit Saul mille, et David decem millia, » quae fuit origo invidia, atque a Davide citharizante curatus cessantibus furis non poterat non eum agnoscere et diligere, uti dictum est cap. praeced. vers. 21.

Quarto, Magister *Hist. Scholast.* respondet Saulem propter exagitationem spiritus maligni factum esse labilis memoriae, ideoque Davidis fuisse oblitum. Idem videtur velle Lyranus. Verum etiamsi hoc non sit improbabile, non tamen omnino satisfaciit.

Quinto, dico ergo varias hujus ignorationis in Saule fuisse causas : prima, quod David jam grandescens barba vestebatur, quam prius non habuerat, ait S. Augustinus, adeoque vultu erat jam magis virili quam juvenili; solent enim juvenes, cum ad virilem aetatem accedunt, paucis mensi-

bus valde in vultu mutari. Secunda, quod David jam vestiebatur habitu pastoritio; veniebat enim ab ovibus, cum in aula Saulis veste usus fuisset antea. Tertia, quod reges tot habebant alios et famulos, totque regni negotia, ut multorum obliviscantur. Abner quoque militiae praefectus sapius ab aula aberat et in castris versabatur; unde Davidem vix videre et nosse poterat.

Addunt Lyranus, Dionysius et Vatablus Saulem hic non quaerere quisnam sit David, sed ex qua stirpe et quo patre oriundus, ut sciat an dignus sit cui filiam suam det uxorem, in praemium victoriae casori Goliath a se promissum, vers. 23; ideoque Davidem respondere se esse filium Isai Bethlehemitae, id est, se esse e tribu Juda, quae erat regalis; Jude enim Jacob promiserat regnum, sicut Levi sacerdotium, Gen. xlix. Sed jam sciebat Saul Davidem esse filium Jesse Bethlehemitae; ab eo enim eum sibi mitti poposcerat, cap. xvi, 22.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi ob Goliath caesum populus acrius clamat : Percussit Saul mille, et David decem millia; quare Saul illi invidens, dolensque eum sibi praeferrari, cogitat eum occidere. Primo vibrans in eum lanceam, vers. 11; secundo per Philistaeos in bello cui eum praefecit, vers. 17; tertio, vers. 23, per filiam suam quam epus descendit, poscens ab eo pro illa centum praepudia Philistinorum, sperans illum ab eis tandem aliquando occidendum.

1. Et factum est, cum complexset loqui ad Saul, anima Jonathae conglutinata est anime David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 2. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. 3. Inierunt autem David et Jonathas fedus; diligebat enim eum quasi animam suam. 4. Nam exspoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. 5. Egrediebatur quoque David ad omnia quaecumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat; posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. 6. Porro cum reverteretur percusso Philistaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis laetitia, et in sistris. 7. Et praecedebat mulieres ludentes, atque fientes : Percussit Saul mille, et David decem millia. 8. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque : Dederunt David decem millia, Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque : Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt; quid ei superest, nisi solum regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aspicebat David a die illa, et deinceps. 10. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malum Saul, et prophetabat in medio domus suae; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies; tenebatque Saul lanceam, 11. et misit eam, putans quod configurare posset David cum pariete; et declinavit David a facie ejus secundo. 12. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. 13. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros; et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi, 14. In omnibus quodque visis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 15. Vidit itaque Saul quod prodens esset nimis, et cepit cavere eum. 16. Omnis autem Israel et Juda diligebat David :